



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

De comparatione Theologiæ cum alijs habitibus, quoad certitudinem. cap.
3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

modo que nimirum non sunt explicitè reuelata, dicuntur tamen de fide, quasi secundario: quia is, qui ea negat, censetur virtute negare formaliter reuelata, ex quibus illa sequuntur: si tamen quis ea negaret alia de causa, verbi gratia quia reputat falsam aliam propositionem naturalem, ex qua sequuntur, inficius, non hæreticus diceretur, ut si quis negaret Christum esse discursuum, non quia non crederet esse hominem, sed quia falsò iudicaret hominem non discurre, sed intelligere ad modum Angelorum: & quamvis in foro exteriori præsumendus esset hæreticus, re tamen ipsa non esset. Itaque quando mens in obiectum non fertur ex vi immediatæ reuelationis, sed ex cognitione alterius obiecti complexi reuelati, & discursu proprio, ac ratiocinatione, est ratio formalis diuersa. Ex quo patet negandam maiorem propositionem, & ad primam eius confirmationem dicendum ea, que ita inferuntur, nõ esse primario, & proximè, sed remotè, ac secundariò de fide, & ita ad eorum assensum nõ concurrere fidem immediatè, sed remotè, quatenus concurrat ad assensum præmissarum, ex quo proximè sequitur assensus conclusionis. Ad secundam respondetur, quando Ecclesia aliquid diffinit, iam illud credi nõ propter discursum, sed propter immediatam reuelationem: nam Ecclesia diffiniens cum nihil de nouo decernat, quod non fuerit ad eò reuelatum, solum declarat id haberi ex sancti Spiritus illustratione. Quod si hoc decernat colligendo ex reuelatis, hæc ipsa collectio ut patefacta ex infallibili assistentia diuini Spiritus, confert obiecto infallibilitatè diuersam ab ea, quæ sumitur ex lumine, ac discursu rationis humanæ. Responsio tertiæ patet ex dictis: nam, quamvis assensus conclusionis nitatur reuelatione diuina, non tamen proximè, & immediatè ut assensus fidei, sed remotè, & per modum resolutionis in sua principia, ut sæpè dictum est. Ad secundum respondetur maiorem propositionem esse veram, si intelligatur de eo, quod per se, & formaliter distinguit fidelem ab infideli: id enim est sola fides, ut bene probat argumentum: esse tamen falsam, si intelligatur de eo, quod secundariò distinguit tamquam aliquid necessario supponens fidem: quemadmodum dici potest, quod spes distinguat fidelem ab infideli, non quidem primariò, & per se, sed secundariò, quatenus necessario supponit fidem, quod perinde non potest reperiri in infideli, & hac ratione se habet suo modo Theologia: quæ

dependet ab habitu fidei, tamquam ab habitu principiorum.

De comparatione Theologiæ cum alijs habitibus quoad certitudinem.

CAPVT III.

Comparatio scientiæ Theologiæ quoad certitudinem cum alijs habitibus, vel actibus intellectus, solum habet dubitationem in ordine ad scientias naturales: nam si conferatur cum Theologia beatorum, planum est cedere illi quoad certitudinem, ut notat Bonauentura in 3. d. 23. art. 1. quæst. 4. in corpore, Durand. eadem d. quæst. 7. numero 10. Capreol. d. 25. quæst. vn. art. 3. ad 6. Capreol. contra tertiam conclusionem. Gabriel. d. 23. quæst. 2. art. 1. & Caietan. secunda, quæst. 4. art. 8. ad 3. siquidem Theologia beatorum habet eandem radicem certitudinis, quam nostra, scilicet ipsam primam veritatem: & præterea addit euidenciam, qua caret nostra. Ex quo sequitur maximum discrimen: nam beata, ut inquit Diuus Bonauentura in 3. d. 26. art. 1. quæst. 5. ita illuminat, ac firmat intellectum erga veritatem cognitam, ut reddat illum impotentem ad errandum, vel dubitandum de illa: nostra vero præbet sufficientem vim, ac firmitatem ad vincendum errorem, & excludendam dubitationem, non ita tamen necessitat, ut impossibile sit in oppositum errorem declinare: ut declinarunt illi, qui teste Apostolo primæ ad Timoth. 1. 1. ad Tim. 1. 1. *conscientiam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Cum igitur cæteris paribus multo excellentior gradus certitudinis sit is, qui intellectum ita obfirmat in vero, ut nequeat in falsum declinare, quam is, qui illi non eripit aberrandi facultatem, perspicuum est certitudinem Theologiæ viatorum nõ esse æqualem certitudini Theologiæ beatorum. Certum quoque est certitudinem fidei esse maiorem quam nostræ Theologiæ: quoniam fides est principium Theologiæ: qua ratione motus D. Thom. 1. 2. secunda secunda, quæst. 4. art. 8. in corpore, & ad 3. dixit fidem esse certiorē scientiæ, sapientiæ, & intellectu, quæ sunt dona Spiritus sancti, quia est fundamentum ipsorum: multo ergo certior erit Theologia, quæ non est donum Spiritus sancti.

Accedit

Accedit quod fides immediate nititur reuelatione diuina, Theologia vero mediata ipsa fide, & præterea discursu intellectus humani, qui non est regula tam infallibilis quam reuelatio diuina. Denique certum est Theologiam esse supra opinionem, & ceteros actus, & habitus humanos non euidentes, hi enim suapte natura incerti, dubitationi ac formidini coniuncti sunt: Theologia certa, & constans vt tract. 4. cap. 1. dictum est: De actibus euidentibus est controuersia.

II. Durandus quæstion. 7. citata, numero 10. dicit fidem esse minorem certitudine extensiuæ, & intensiuæ scientiæ, quia caret euidentia, & habet adhesionem minorem, nam est magis mixta dubitationibus, & quæst. 6. prolog. nu. vigesimo quarto, Theologiam non esse certiorē alijs scientiis. Bassol. in 3. d. 23. quæstion. vn. artic. 1. §. *Ad rationes*, ad tertium docet certitudinē fidei, ac proinde Theologiā, non esse maiorem quoad adhesionem, quam sit scientia, imo & errores hæreticorum, esse vero minorem quoad euidentiam. Vnde ex sententia horum Doctorum Theologia nullo modo est certior alijs scientiis naturalibus. Probat-
 ur verò in primis autoritate Hugonis de sancto Victore libr. 1. de sacramentis p. 10. cap. 2. ubi fidem appellat certitudinem animi supra opinionem, & infra scientiam constitutam: fides autem, vt paulo antè dixi, est certior scientia Theologiā, ergo, si fides est certitudo infra scientiam, multò magis hoc ipsum competet Theologiæ. Probat deinde ratione. Primò scientia, quæ procedit ex principiis per se manifestis intellectui, est certior ea, quæ procedit ex principiis occultis: reliquæ scientiæ procedunt ex manifestis, Theologia ex occultis, siue obscuris, nempe ex reuelatis, & ineidentibus: ergo ceteræ sunt illa certiores. Secundò assensus excludens ab intellectu omnem prorsus dubitationem est certior eo, qui relinquit dubitandi locum, scientiæ naturales tollunt omnino dubitationem ab animo: fides autem, & consequenter Theologia nequaquam, nam etiam bonis Christianis, ac Theologis suboriri interdum solent subiti quidam motus dubitationis. Tertiò quotiescumque duo actus vel habitus conueniunt in eadem radice certitudinis, & vnus addit præterea aliquid aliud conducens ad eius firmitudinem, hic est certior altero, qui solam habet primam, scientia naturalis, ac Theologia habent eandem radicem certitudinis, scientia vero addit aliquid ad illam

cōducens: ergo est certior Theologia. Assumptio quoad secundam partem est manifesta: scientiæ enim naturales habent euidentiam, quæ non habet Theologia: Quoad primam ostenditur, quoniā omnis certitudo scientiæ naturalis reducitur in primam veritatē, & lumē intellectuale diuinum: siquidē habetur certitudine principiorū, quæ est ex lumine rationis à Deo indito, vt docet D. Tho. q. 11. de veritat. ar. 1. ad 13. & 17. *S. Thom.* lumē autem rationis, cum sit quasi impressio luminis diuini, in ipsum tanquam in principium resoluitur: atque adeò quemadmodum Theologia vltimo resoluitur per lumen fidei in primā veritatē, ita scientia naturalis resoluitur in eandē per lumē intellectus. Deniq; quoad eas cōclusiones, quæ pendunt ex altera præmissa naturaliter euidente, res est manifesta: tum quia pendet ex certitudine illa naturali, nullus autē effectus per se pendens ab alio, tanquā à causa principali, in suo genere est perfectior illo: tum quia non est maior infallibilitas veritatis in assensu conclusionis Theologicæ, quæ sit in quauis præmissa: nam quotiescumq; deficiet veritate prioris deficit veritas posterioris, hoc non est magis infallibile, quam illud: at quotiescumq; vel per impossibile deficiet veritas præmissæ naturalis, ex qua pēdet veritas cōclusionis Theologicæ, hæc quoque deficiet, vt per se patet, ergo hæc non est magis certa quam illa.

III. Cōmunis sententia est, Theologiā esse certiorē scientiis humanis, verū in ea explicanda est maxima varietas opinionū, Alens. *Alens.* 1. p. q. 1. m. 4. ar. 2. tripliciter distinguit certitudinē: est, inquit, certitudo speculationis, & est certitudo experiētiæ, præterea est certitudo secundū intellectū, & est certitudo secundū affectū, est certitudo quoad hominē spirituale, & est certitudo quoad hominē animale: deinde subdit Theologiā esse certiorē certitudine experiētiæ, & quoad affectū, nō vero quoad speculationē intellectus. Idē docet de fide q. 2. m. 3. ar. 4. ad 3. Ita verò opinatur Alens. propter gustū spirituale annexū doctrinæ sacre, vt testat David Ps. 118. *Quā dulcia faucibus meis eloquia tua*, qua dulcedine animus ardet afficitur ad assensum illorū. In solutione vero ad secundū, addit discriminē inter hanc, & alias sententiās: quod aliæ procedūt ex principiis veritatis, vt veritatis per se notis, hæc autē procedit ex principiis veritatis, vt bonitatis, & per se notis vt bonitatis: quis occultis vt veritatis, ex quo vult vt intelligam⁹ scientiā reuelatā esse certiorē alijs quoad affectū, nō quoad speculationē quia principia affectus sunt bonitas, vt bonitas speculationis autem veritas, vt veritas.

Psalm. 118.

IV.

Hæc sententia est admodum obscura, & ut mihi videtur, sibi non constans. Namque duplicem potest habere sensum, in primis sicut tractat. 4. ca. 1. ex D. Thom. dixi, duplex est in nobis causa fidei, voluntas, & intellectus, illa imperans, hic eliciens: atque adeo ex parte Dei duo erunt motiva credendi, alterum bonitas, qua mouetur voluntas, alterum veritas, qua mouetur intellectus: si hæc respexit Aletis, mens eius esse potest, primum principium fidei ex parte Dei esse bonitatem ipsius, quæ est primum mouens ad operationes Dei externas, & consequenter est causa communicandi hominibus lumen supernaturale fidei, & reuelandi res supernaturales; propter quam bonitatem voluntas mota determinat intellectum, ut assentiatur propter principia veritatis, sibi quidem proposita, obscure tamen per reuelationem. Verum si hoc modo intelligatur, quamuis bonitas Dei absolute sumpta, sit per se nota, non tamen est per se nota, quatenus est principium reuelationis: quæ ut à bonitate procedit est signum illius, sed obscurum quemadmodum obscurum est, quod à Deo sit, loquor autem de Christianis communiter, qui non habent euidenciam reuelationis. Potuit etiam respicere ipsum motuum credendi, quod est reuelatio diuina, quæ immediate procedit à veracitate, quæ cum sit virtus voluntatis, respicit per se actus externos sub ratione bonitatis, non veritatis: & ita est quidem principium veritatis reuelatæ, non ut veritas sed ut bonitas est; Verum neque iuxta hanc interpretationem coheret eius dictum: siquidem reuelationis principium non est sola veracitas, sed etiam scientia diuina, quæ est principium veritatis non sub ratione bonitatis, sed veritatis. Præterea non magis per se nota est veracitas, ut est principium veritatis sub ratione bonitatis, quam scientia, ut est principium veritatis sub propria ratione veritatis: nam sicut absolute est per se notum Deum esse veracem, ita per se notum est esse sapientem: & sicut in particulari est ineuidens ipsum scire hoc determinate mysterium, quod reuelat, ita ineuidens est ipsum reuelasse; atque adeo penes rationem euidenciam principij per se noti, non est unde colligatur Theologiam esse certiorē alijs scientijs quoad affectum, quam quoad speculationem: Et ita ex hac parte sententia Aletis non habet fundamentum: fortè respexit ad notitiam experimentalem, & gustum spirituales in notitia reuelata, ex qua voluntas inducta determinat intelle-

ctum. Verum eiusmodi experientia nec in omnibus reperitur, & cum non discernatur euidenter naturam actuum, ac delectationum supernaturalium à naturalibus, non potest etiam gignere euidenciam ex parte principiorum veritatis supernaturaliter reuelatæ. Et ideo merito idem Aletis, postea 3. p. quæstion. 68. m. 9. art. 1. impugnat, & rejicit hanc sententiam, quia certitudo illa gustus, & affectus non reperitur nisi in fide formata, cum tamen etiam in formis sit certior scientia.

Bonauentur. in 3. d. 23. art. 1. quæstion. 4. distinguens duplicem certitudinem, nempe speculationis, & adhesionis, primam dicit respicere intellectum, & esse minorem in fide: Secundam respicere affectum, & esse maiorem in fide, quia fides magis facit adherere veritati creditæ, quam scientia rei scitæ: veri enim fideles, nec per argumenta, nec per tormenta inclinari possunt ad negandam veritatem fidei: stultus autem esset geometra, qui pro quacunque certa conclusione geometriæ auderet subire mortem. Unde significat certitudinem fidei, & consequenter Theologiam esse maiorem ex parte subiecti, non vero ex natura actus. Idem sentire videntur, qui dicunt esse magis certam quoad adhesionem, non quoad euidenciam. Ita Aegid. in 2. d. 1. 1. p. quæstion. 1. artic. 3. ad 2. Ocham. in prolog. quæstion. 3. principali, quæ est in ordine 7. littera Q. ad secundum: & hoc potissimum probant rationes initio propositæ: Hæc sententia si ita intelligatur ut idcirco scientiæ naturales dicantur excedere Theologiam, quoad certitudinem, quia Theologia non habet certitudinem, quæ nascitur ex euidencia obiecti determinante intellectum ad assensum, sed præter motuum ex parte intellectus adhuc egeat voluntate determinante; Cæteræ verò scientiæ ex sola contemplatione, & euidencia obiecti certæ sint, & determinatæ ad vnum absque adminiculo voluntatis, communis est non solum Bonauentur. Aegidij, Durand. Ocham. & Bassol. vbi supra, sed etiam Henric. in summ. art. 7. quæstion. 2. Richard. quæst. 7. prolog. Heruaz quodlibet. 11. quæstio. 18. Capreol. in 3. d. 25. quæstion. vn. artic. 3. ad 6. contra 3. conclusionem & aliorum, & Henric. de mente sancti Thomæ in 3. d. 23. quæstion. 2. art. 2. quæstiuncul. 3. & patet ex 5. Thom. tract. 4. cap. 1. Ibi enim dictum est intellectu non necessitari ad assensum ex proprio motu fidei, & Theologiæ propter eius ineuidenciam, sed ex applicatione voluntatis: at

tatis: at cetera scientia ita euidenter obiectum, & assentiendi motiua percipiunt, vt ex ijs, absque opera voluntatis determinentur ad assensum, sin autem proposita sententia intelligatur ita, vt Theologia non habeat aliam certitudinem, prater eam, quae est ex parte affectus, neq; vlla sumat ex proprio motiua ipsius intellectus, non est tenenda, vt patet ex dictis tract. 4. c. 1. vbi ostendi Theologiam esse certam ex natura, & causis per se ipsis, & ex dicendis magis constabit.

Diuis Thomas 1. part. quaest. 1. art. 5. in solutione ad primum, cum obiectum fuisset alias scientias non admittere dubitationem sicut Theologia, responderi absurdum non esse, vt id, quod est magis certum secundum naturam, quoad nos sit minus certum, ob debilitatem intellectus nostri. Quod dictum, vt eodem art. 5. Molina refert, aliqui Recentiores intelligunt de certitudine ex parte obiecti materialis, eodemque modo Durand. in 3. d. 23. quaest. 7. numero 8. intelligit Diu. Thom. quando secunda secunda quaest. 4. artic. 8. docet fidem secundum se esse certiores scientijs, licet quoad nos sit minus certa, sed hac interpretatio non est ad mentem Diui Thomae, vt notat Capreol. in 3. d. 25. quaest. vn. artic. 3. ad argumenta contra tertiam conclusionem, & Caietan. secunda secunda quaest. 4. ar. 8. tum quia Diu. Th. loquitur de certitudine Theologiae respectu omnium obiectorum, aliqua vero in se sunt contingentia: & consequenter non magis certa materialiter, quam obiecta scientiarum, quae sunt necessaria, tum quia Diuis Thomas recurrit ad lumen diuinae reuelationis: hoc vero habet se ex parte obiecti formalis, & communicat actui intrinsecam certitudinem; tum deniq; quoniam certitudo obiecti non est ad rem, non enim repugnat, vt de obiecto minus certo habeatur notitia certior, quam de magis certo. Etenim obiectum Metaphysicae secundum se certius est obiecto Mathematicae, vt docet Bonauent. in 3. d. 23. art. 1. quaest. 4. ad vltimum, Durand. Aegid. citat. & ex Linconienf. Capreol. quaest. 1. prolog. art. 1. conclusion. 4. & tamen demonstrationes Mathematicae certiores sunt demonstrationibus Metaphysicis, quas ex natura lumine habemus, vt iidem Auctores notant.

Syluest. in conflato 1. p. q. 1. art. 14. doctrinam Diu. Thom. intelligit non solum de obiecto, verum etiam de actu Theologiae in communi sumptae, de qua verificatione Theologiae beatorum, aut di-

uis non nostra. In eadem sententia aliqui Recentiores volunt esse Caietan. 1. p. q. 1. art. 5. §. Probat. ergo, quatenus interpretatur de Theologia secundum se, non vt in nobis pro isto statu. Verum hac interpretatio est aliena a mente Diui Thomae & Caietani: nam similiter D. Thom. q. 1. 4. de veritate, art. 1. ad 5. 7. & 8. & secunda secunda q. 4. ar. 8. cum Caiet. ait fidem esse certiores secundum se scientijs: fides autem in solis viatoribus reperitur, nec potest abstrahi ab inevidentia obiecti: quemadmodum ergo de ipsa vere dicitur, quod sit secundum se certior scientijs, sic etiam de nostra Theologia dicitur. Deinde colligitur ex instituto Diui Thom. intelligenti debet de certitudine actuum eius Theologiae, quam comparat cum scientijs naturalibus, nempe nostrae: nam ex eo, quod actus Theologiae diuinae, vel beatae quoad certitudinem excedant actus scientiarum naturalium, non colligitur maior certitudo Theologiae nostrae, nisi ex illis in eius actus redundet aliqua ratio certitudinis: aliqua ergo habent actus ipsi certitudinem, ratione cuius Theologia nostra sit certior alijs scientijs, si vero eam habent, cum omnis formae communicet suum effectum formalem subiecto, cui inest, actus Theologiae non solum secundum se, sed etiam quoad nos erunt certiores: atq; adeo hac interpretatione non bene defenditur doctrina Diui Thomae.

Recentiores aliqui distinguunt triplicem modum certitudinis: primus consistit in assensu determinato sine dubitatione: secundus in veritate cognitionis, quae sumitur ex conuenientia intellectus cum re: tertius in actu reflexo, quo quis iudicat nullo modo se falli in eo, quod cogitat. Probant autem non posse accipi dictum D. Th. primo, aut secundo modo, sed tertio, quandoquidem vt comparatio D. Thom. sit apta, non debet Theologia sumi secundum se, hoc est secundum rationem communem exuta a conditionibus, & imperfectionibus vig, qualis reperitur in Deo, ac beatis: nam hoc etiam modo aliae scientiae in Deo sunt aequae certae, ac Theologia: sed sumi debet secundum propriam rationem nostrae Theologiae: hac autem solo tertio modo est certior scientijs naturalibus. Verum hoc argumentum in primis supponit, id de quo est controversia, nempe Theologia solo tertio modo esse certior re alijs scientijs. Deinde quis antecedens sit verum, vt patet ex dictis: ratio ipsa non conuincit: nam Theologia abstrahi potest ab his conditionibus, at rerum naturalium cognitio, si abstrahatur a lumine creato, & reducatur in lumen creatum, iam non est

Caietan.

S. Thom.

VIII.

Philosophia, sed Theologia: Nam, quatenus admodum, si eadem res philosophica à nobis per fidem, & discursum Theologicum cognoscantur, assensus ita genitus non ad Philosophiam, sed ad Theologiam pertinet, ita etiam rerum omnium cognitio, quæ lumine ipso diuino nititur Theologia censenda est. Accedit quod Deus res alias non cognoscit aliter, quam in seipso, ut in primario obiecto, & ideo omnis eius cognitio Theologica est, ut bene deducit Scotus quæstion. 3. prolog. §. *Idèò dico*, quia omnis cognitio diuina de rebus alijs à se habetur virtute primi obiecti Theologici actuantis intellectum eius, hoc est essentia diuina, in qua tanquam in primario obiecto creaturæ intelliguntur: atque adeò non falso diceret in hoc sensu Diu. Thom. Theologiam secundum se esse certiorē scientijs naturalibus: Verum non in eo locutus est, ut patet ex dictis. Probat deinde impugnando aliam interpretationem, nempe quod Diu. Thomas loquatur de Theologia secundum se, hoc est ratione principiorum, quia procedit ex principijs fidei, quæ certior est scientijs humanis ex parte obiecti formalis, cui innititur, hæc autem positio, inquit, necessario supponit conclusionem Theologicam debere semper colligi ex principijs creditis fide diuina, non verò solum ex acquisita: quæ opinio certa non est: Si vero dicatur posse deduci ex principijs creditis fide acquisita, verum non est Theologiam esse certiorē alijs scientijs ex parte principij formalis. Dicunt itaque doctrinam Diui Thomæ intelligendam de certitudine actus reflexi, quo quis iudicat cognitionem, quam habet de obiecto, non posse esse falsam, nec ipsum aliter se habere quam cognoscatur. Quomodo, inquit, magis certa est nostra Theologia, quam quæuis alia scientia, hoc est magis certum cognitionem, quam habemus per Theologiam, falli non posse, quam scientiam aliam quamcunque: credimus enim Theologiam ortum habuisse ex Dei testimonio, cui magis repugnat fallitas, quam cuius scientiæ creatæ.

IX.

Hæc expositio longè aliena est à mente Diui Thomæ, nec satis explicat discrimen Theologiæ à scientijs naturalibus, quo ad certitudinem. Primum constat ex communi interpretatione discipulorum sancti Thomæ, quorum nemo recurrit ad certitudinem actus reflexi: Deinde quia hoc modo Theologia etiam ef-

fectior quoad nos, seu ex parte subiecti: nam certitudo, quæ habetur per actum reflexum, reddit ipsum subiectum certum de obiecto, cum ergo Diu. Thomas dicat Theologiam esse certiorē, secundum se non quoad nos, nequaquam intelligi potest de actu reflexo: qui ex æquo haberi potest de scientijs naturalibus, ac fide, & Theologia: imò fieri potest, ut aliquis per actum reflexum iudicet suum errorem esse scientiam, & non posse falli: denique Diu. Thomas loquitur de certitudine in actu exercito, qua intelligens ipsemet actum intelligendi redditur formaliter certus de obiecto intellecto: at certitudo per actum reflexum non est formalis certitudo Theologiæ ut actus, sed vt obiectum alterius actus. Quod autem non bene explicet hoc discrimen constat, quandoquidem actus reflexus, aut est euidentis saltem experientialiter, aut est actus fidei, aut opinionis: si opinionis, similiter alij opinari possunt actus scientiæ naturalis, aut opinatiuos esse certos: si est actus fidei, non habebit maiorem certitudinem, quam quiuis alius actus fidei: sed hanc ait Diu. Thomas esse secundum se certiorē, quam scientias naturales: ergo si actus hic reflexus absque reflexione alterius reddit intellectum certiorē, quam reddat actus scientiæ naturalis, ita quoque quilibet actus directus fidei, ac Theologiæ se ipso formaliter reddet subiectum certum de obiecti veritate: Euidencia experimentalis si datur de certitudine actus Theologici, consequenter ipse in se, ut præcedit actum reflexum est certior alijs scientijs, quod hi Authores nolunt admittere. Patet sequela, nam de eo, quod non est, euidencia haberi non potest, ergo si habetur euidencia experimentalis de certitudine scientiæ Theologiæ supra scientias naturales, sane illa in se talis est. Denique idem est motuum quo mouetur intellectus ad eliciendum huiusmodi actum reflexum, & ad credendum, atque assentiendum conclusioni Theologiæ: ergo si illud sufficit ad causandam maiorem certitudinem in actu reflexo, sufficit ad eandem gignendam in actu fidei, & assensus Theologici. Antecedens constat ex ipsorum dictis, aiunt. n. nos credere Theologiam ortum habuisse ex Dei testimonio, atque ex hoc ipso in actu exercito mouetur Theologus ad assensum conclusionis. Denique omnis certitudo actus reflexi de veritate directi sumitur à certitudine actus supra quam cadit: sed per actum reflexum possumus vere iudicare fidem, & Theologiam in genere notitiæ certiorē esse, quā

sint alia

sint aliæ scientiæ naturales: ergo in se ipsa talis est, alioquin actus reflexus esset falsus. Ex quo patet ad explicandum excessum certitudinis Theologiæ supra alias scientias, parum facere actum reflexum: neque de eo est controuersia inter Doctores, quando agunt de certitudine actuum, sed de ipsa formali, atque intrinseca certitudine ipsorum in ordine ad suum obiectum. Ratio vero dubitandi vim habet apud eos, qui existimant consistere posse veram Theologiæ rationem per assensum genitos ex præmissis, sola fide acquisita creditis, quod est contra sanctum Thomam, & omnes antiquiores Doctores ut tractat. 2. capit. 7. ostendi. Ego verò sicut censeo illum assensum non esse propriè Theologicum, ita credo non esse certiores assensibus evidentibus scientiarum naturalium, de verè Theologico mox dicam.

X. Omittis his, atque alijs explicandi modis, ut quæstioni respondeam, obseruo Theologiam comparari posse vel cum scientijs, vel cum habitu principiorum. Item assensum Theologicum aut procedere ex utraque præmissa de fide, aut ex vna de fide, altera naturaliter euidente: Cumel. 1. p. quæstion. 1. art. 5. quæstion. vn. existimat Theologiam, si procedat ex utraque præmissa de fide esse certiores omnium habitu, & actu naturaliter euidente, etiam habitu, & assensu primorum principiorum. Si verò procedat ex altera tantum de fide, ait non esse certiores scientijs. Primum probat testimonijs scripturæ, & Patrum, quibus certitudo fidei præfertur scientijs humanis. Secundum verò, quia assensus pendens ex pluribus causis sequitur deteriorem partem. Ego verò primò dicam de assensu Theologico, qui pendet ex duabus præmissis de fide, deinde de eo, qui pendet etiam ex altera naturaliter euidente.

XI. Dico primum, Theologia nostra est certior scientijs naturalibus non solum certitudine ex parte affectus, & dispositionis subiecti, sed etiam intrinseca ipsi actui ortas ex causa per se illius. Ita docet Albertus in prologo sum. & tractat. 1. quæstion. 1. ad secundum, & quartum, & ex instituto, quæstio. 5. m. 6. sancti Thom. 1. p. quæstion. 1. art. 5. cum Caietano ibidem quæstion. vn. prologi. art. 3. quæstiuncul. 3. & in 2. scripto, quæstion. 2. prologi. art. 2. in corpore, & ad primum. Aegidius 2. p. prologi quæstion. 2. Henricus in sum. art. 7. quæstion. 2. Richardus quæstion. 5. prologi, Argentin. quæstion. 2. art. 4. Capreol.

quæstion. 1. artic. 1. conclusionem 4. Soncin. eadem conclusione: eiusdem sententiæ sunt omnes, qui docent fidem esse certiores etiam habitibus naturalibus evidentibus, & fidei articulos esse principia respectu Theologiæ, ex hoc enim Capreol. citat. colligit sententiam esse Diu. Thomæ, Quia, inquit, sicut se habet principium ad principium, quò ad certitudinem vel euidentiam cognitionis, ita conclusio ad conclusionem, & scientia ad scientiam. Ita Alfiodorens. in prol. suæ sum. Alenf. 3. p. q. 68. m. 9. art. 1. S. Tho. secunda secundæ q. 4. ar. 8. cum Caiet. ibid. Gabriel. in 3. d. 23. q. 2. art. 1. Vincent. in speculo morali libr. 1. p. 3. d. 17. dub. 8. Ioan. Viguer. Instit. c. 10. §. 1. ver. 5. suadet autem, quoniam, ut patet ex dictis tractat. 4. c. 1. certitudo est modus quidam infallibilitatis assensus pendens ex proprijs, ac per se causis veritatis: atq; adeò quo causa, vel ratio cognita fuerit immutabilior, ac certior in se, eò assensus erit certior: sed veritas prima, sub qua Theologus considerat suum obiectum, est certior, atque immutabilior omni alia causa, aut principio veritatis creatæ, cognito per lumen naturale intellectus: ergo etià assensus Theologicus suapte natura habet firmitus fundamentum suæ veritatis, & consequenter suapte natura est certior quouis alio assensu scientiarum naturalium. Et hæc ipsa ratio certitudinis formalis est suapte natura intrinseca cuius actui fidei, & assensus Theologici, quam Henric. vbi supra vocat certitudinē securitatis de veritate obiecti. Verum quia huic ipsi veritati primæ alij magis, alij minus copulantur propter maius, vel minus lumen fidei, nō semper apparet tota vis certitudinis debitæ eiusmodi actibus. Et idcirco D. Tho. ait, respectu nostri intellectus nō esse magis certā Theologiam, quoniā cum ipse non videat rationem credendi, non est certus ex proprio testimonio, ac lumine, sed ex testimonio Dei, quod licet absolute exigit certissimū assensum, tamē propter ineuidentiam suā non gignit tā certū, quā suapte natura postulat. Quia verò intellectus circa obiecta naturalia videt clare radicē, & causam veritatis, ac necessitatis obiectiue, cōsequenter habet assensum euidentē, qui quò ad nos dicitur certior, quā Theologicus, quia nititur solo lumine, atq; euidentia naturali intellectus, Theologicus verò nititur, nō proprio, sed alieno testimonio: Ex quo perspicua manet distinctio, qua circa hanc materiam videtur Diuus Thomas, nempe si certitudo capiatur pro assensu, quo intellectus determinatur ad vnum ex euidentia

Soncin.

Alfiodor.

Alenf.

S. Thom.

Caietan.

Gabriel.

Vincent.

Viguerius.

obiecti

Cumel.

XI.

Albertus.

S. Thom.

Caietan.

Aegid.

Henricus.

Richardus.

Argentin.

Capreolus.

obiecti, certiores sunt scientiæ naturales, quam Theologia: si verò pro firmitate adhesionis ex causa, ac radice veritatis certior est Theologia scientiis naturalibus. Denique quoniam in hac firmitate ex causa assensus consistit propria ratio certitudinis, ut tractat. 4. cap. 1. explicatum est, Theologia, quæ hac radice nititur debet absolute, ac simpliciter dici certior omnibus alijs scientiis naturalibus, & minus certa secundum quid. Quæ sententia vera est de assensu Theologico genito ex duabus de fide, & comparato cum scientiis naturalibus.

XII.

Dico secundum. Assensus Theologicus procedens ex utraque de fide non est certior assensu primorum principiorum ex terminis habito; Hæc est de mente Doctorum omnium, quos supra retuli, expressè enim solum præponunt Theologiam scientiis, fidem verò omni cognitioni humanæ, eo ipso indicantes Theologicum assensum non adæquari fidei certitudini, neque excedere illam, quæ est propria principiorum. Ratio est, quoniam, quotiescunque duo assensus dependent ex vna radice certitudinis æquali, & alter non pendet ex vilo alio principio, quâvis alter simul, ac necessario pendet ex altero principio certiori, non proinde erit certior priori, sed erunt æquales quoad certitudinem: actus Theologicus quoad euidentiā consequentiæ necessario pendet à lumine rationis, à quo etiam pendet assensus principiorum: ergo quâvis actus Theologicus habeat etiam dependentiam à lumine fidei, & reuelatione diuina, non proinde erit certior. Maior propositio, in qua est vis argumenti, ostenditur, quoniam ij actus sunt quoad certitudinem infallibilitatis æquales, qui ex æquo habent necessariam radicem certitudinis, ac veritatis: & si alter utcunque deficere possit, similiter possit & alter, & quando duo actus necessario pendent ex vna radice veritatis æquali, & alter non pendet ex vilo alio principio, alter verò pendet ex altero firmiore, ita res se habet: ergo sunt quoad certitudinem æquales. Assumptio ostenditur: etenim in eo casu sola immutabilitas radices firmioris, non sufficit ad gignendam certitudinem, sed necessario requirit consortium alterius etiam infirmioris, ut videre est in materia, de qua agimus: certitudo quippe præmissarum reuelatarum, si desit certitudo bonæ, formæ syllogisticæ, non sufficit ad gignendum assensum Theologicum: sæpe enim ex duabus de fide propter ineptam for-

mam colligitur conclusio falsa, itaque quotiescunque defecerit consortium huius radices debilioris, deficiet etiam certitudo in assensu pendente ex utraque: Sed hæc radix cum sit eadem cum radice prioris assensus ex nulla alia pendente, non est magis necessaria, aut certa respectu euidentiæ bonæ consequentiæ, quam penetrationis terminorum, ergo ex æquo deficere poterit respectu vtriusque; & consequenter assensus ex ea pendentes, ex æquo certi, vel obnoxij fallitati. Ex quibus patet, testimonia quibus Cumel. sententiam suam confirmat, nihil concludere de Theologia, quæ non immediatè nititur reuelatione diuina, sed mediante consequentia lumine naturali cognita.

Dico tertium. Assensus Theologicus genitus ex altera præmissa naturaliter euidente est certior quouis assensu scientiæ naturalis, exceptis ijs, à quibus per se pendet. Prior pars est etiam de mente Authorum, qui simpliciter asserunt Theologiam esse certiorē scientiis naturalibus, suadetur autem quoniam ille assensus est minus certus, qui habet causas veritatis minus firmas, quam alius: Sed assensus genitus per discursum constantem ex utraque præmissa naturaliter euidente habet causas veritatis, ac certitudinis minus firmas, quam Theologicus genitus per discursum constantē, altera de fide, altera naturaliter euidente: ergo naturalis est minus certus Theologico. Assumptio patet, si ponamus Syllogismum scientiæ naturalis constare eadem præmissa naturaliter euidente, qua constat Theologicus, & loco alterius de fide, quam Theologicus habet, admittere alteram naturaliter euidenter. In hac suppositione facilius est deficere connexionem medijs naturalis, quam Theologici: nam licet Theologicum ex ea parte, qua constat præmissa naturali, æquè facile dissolui possit, ac naturale ratione eiusdem præmissæ: tamen quia qualibet præmissa deficiente à veritate dissoluitur medium, fieri poterit, ut præmissa illa vtrique communi permanente in veritate, quoad alteram inæqualitas firmitatis, ut reuera est, inter propositionem de fide, ac naturalem: & consequenter illud medium erit firmius, quod præmissam, penes quam differt ab alio, firmiorem, ac certiorē habet: illud verò magis obnoxium dissolutioni, quod minus firmam: atque adeo cum assensus genitus ex utraque naturaliter euidente quoad alteram partem nitatur fundamento mi-

XIII.

nus firmo, quam Theologicus genitus ex altera naturaliter euidente, altera de fide, hic erit illo firmitior, ac certior. Ratio adducta à Cumel. solum probat assensum Theologicum non esse certiorē assensibus præmissarum naturalium, ex quibus elicitur, non vero aliarum. Ad illud vero axioma, effectus sequitur deteriorē partem causæ, quatenus dictis repugnat, respondeo non esse ita intelligendum, quasi necessarii debeat esse æqualis quoad præstantiam causæ minus perfectæ: nam hoc est falsum, ut patet in ipsis effectibus naturalibus: animalia enim quæ ex specierum commistione generantur, semper tenent medium locum inter utramque speciem, & sunt præstantiora parentibus inferioris speciei. Sat ergo est, ut effectus maneat infra dignitatem causæ præstantioris, & hoc modo se res habet in actu Theologico, qui est minus certus actu fidei.

XIV. Nunc ad argumenta initio proposita respondendum est. In primis autem testimonium Hugonis exponit Altisiodor. libro 3. tractat. 3. capit. 1. quæstion. 2. ad tertium: & Albertus 1. part. summæ tractat. 1. quæstion. 1. ad 4. quod per scientiam intelligat solum visionem claram Dei, ac proinde dicat fidem hac sola esse inferiorē. Alens. verò 1. par. quæstion. 1. m. 1. ad 4. & Sanct. Thom. quæst. vna prolog. artic. 3. quæstiuncul. 3. dicunt intelligendum esse de fide habitam ex rationibus probabilibus, non inspiratam ad assentiendum primæ veritati propter se ipsam. Tandem Diuus Thomas in 3. d. 23. quæstion. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad primum exponit de medio secundum quantitatem discretam, quia secundum plura conuenit cum extremis, quam illa inter se, non vero secundum continuam, quasi fides sit eiusdem rationis cum utroque extremo, & differat solum secundum magis, ac minus; & ideo ex hoc non sequi fidem esse minus certam, quam scientiam: siquidem scientia, & opinio duobus maximè differunt certitudine, atque euidentiā, quarum utraque caret opinio, pollet scientia: fides autem est media secundum quantitatem discretam, quoniam cum utraq; conuenit secundum vnam ex illis, & differt secundum alteram: nempe cum opinione conuenit obscuritate, differt certitudine: cum scientia conuenit certitudine, differt ineuidentiā: cum quo differentiæ modo non repugnat, ut secundum quantitatem continuam sit excellentior quoad illud, in quo conuenit cum scientia humana, & ita

licet non sit euidens sicut illa, potest tamen esse certior illa. Primum argumentum solum concludit scientiam naturalem quo ad euidentiā esse supra Theologiam, quod est verum, si verò absolute sumatur, negandum est antecedens: nam certitudo magis respicit firmitatem, & immobilitatem principij, quam euidentiā. Ad secundum respondetur maiorem esse veram de certitudine quo ad nos, quæ maior est in scientia naturali, quam in Theologia, non de certitudine ex causā, & immobilitate motiui. Tertij neganda est assumptio. Ad cuius probationem dicendum veritates omnes dupliciter reduci in primam, & lumen diuinum, vel ratione communi, quatenus omnes sunt participationes primæ veritatis, & omnes intelliguntur à lumine intellectus, quod est participatio luminis intellectualis Dei, vel ratione particulari, quatenus lumen diuinum, ac veritas prima speciali modo, tanquam proprium motuum determinat, ac mouet intellectum ad assensum. Prior modus, utpote communis, nihil facit ad maiorem, vel minorem certitudinem, sed posterior, hoc autem scientiæ naturales non reducuntur in primam veritatem, tanquam in proprium assentiendi motuum: Qui enim primis principijs assentit ex terminis, non præbet assensum, quia sic habet prima veritas, de qua non cogitat: Sed quia euidenter intuetur terminos, & materialem eorum coniunctionem: atqui assentitur ex fide principijs Theologicis, actu assentitur propter primam veritatem, & ita constat diuersus modus resolutionis luminis naturalis, & supernaturalis fidei in primam veritatem. Vltimum argumentum solum probat assensum Theologicum genitum ex altera de fide, altera naturaliter euidente, non esse certiorē hac præmissa, ex qua inferitur, quod est verum: non probat autem eandem esse rationem, si comparetur cum alijs, ex quibus non pendet, ut constat ex dictis.